



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

Dom. s[an]ctissim[a]e trinitatis. Eu. Erat ho[mo] ex pharisæis. Iohan. 3
Homiliæ tres

urn:nbn:de:hbz:466:1-35259

ro sunt, qui ea dominica legant euangelium: Quum uenerit paracletus, quod explicatum per nos est dominica post ascensionem domini. Alij uero euangelium legunt de Nicodemo, quod etiam lectum est hac ipsa dominica in concilio Pisano, quando festum illud institutum est, teste Cardinali Cameracen. Petro de Alaco, qui in eodem concilio prædicauit. & nos itaq; illud iam explicemus,

DOMINICA TRINI

TATIS EVANGELIUM

Iohannis III.



In illo tempore. Erat homo ex pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. hic uenit ad Iesum nocte & dixit ei: Rabbi, scimus quia à deo uenisti magister. nemo enim potest hæc signa facere que tu facis, nisi fuerit deus cum eo.

Matth. 21

Respōdit Iesus & dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, nō potest uidere regnum dei. Dicit ad eū Nicodemus: Quomodo potest homo renasci, cum sit senex? nunquid potest in uētre matris suæ iterato introire & renasci? Respondit Iesus: Amen amen dico uobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei. Quod natum est ex carne, caro est:

& quod natum est ex spiritu, spiritus est. Nō mireris quia dixi tibi, oportet uos nasci denuo. Spiritus ubi uult spirat, & uocē eius audis, sed nescis unde ueniat, aut quo uadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Amē amē dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi uobis & non creditis, quomodo si dixero uobis cælestia, creditis? Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filiū hominis, ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Ephē. 4.

Numē. 21.

HOMILIA I.

Sub finem captis secundi, pau Io ante exordium huius euangelij, dicit Iohannes quod Christus non crederet semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes. Quā obrem Nicodemus qui iam credere cœperat, uidens miracula Christi, quum ipse pharisæus esset, uenit ad Iesum.

Ne exhorreatis, dilectissimi, nomen & titulum pharisæorum, neque omnes malos fuisse putetis. nam & à deo extra sacerdotium institutus fuerat olim triplex ordo spiritalium hominum, sicut nunc in ecclesia, præter sacerdotes à

Exodi. 29

deo institutos, habemus Benedictinos, Bernardinos, Prebendarios, dicatores, Minores, Carthusianos &c. plane enim sic in ueteri testamento erant Essæi, Pharisæi & Saducæi, teste Iosepho, & post illum etiam autore Eusebio. Erant itaque pharisæi ex his honestissimi, sic dicti, quod tam moribus quam

Iosephus

Eusebi. de

prepara.

Euangeli.

habitu separati & diuisi erant à cæteris, deducta appellati-
one à uerbo phares. Quid multa? sicut iam religiosi habi-
tu & ceremoniis separati sunt à reliquis Christianis, ita
pharisæi apud Iudæos erant. Vos itaq; cum pharisæos au-
ditis nominari, ne quid cogitatis mali, sicuti neq; malum
suspiciamini audientes monachos & moniales uobis com-
memorari. siquidem & hic Nicodemus pharisæus exiit,
& tamen bonus: & Paulus apostolus fuit pharisæus, sic-
ut ipse apud regem Agrippam de se professus est, dicens:
Et quidem uitam meam à iuuentute quæ ab initio fuit in
gente mea, in Hierosolymis, nouerunt omnes Iudæi, pre-
sicientes me ab initio, si uelint testimonium perhibere, qu-
oniam secundum certissimam sectam nostræ religionis ui-
xi pharisæus. Verum quidem est, qd decursu temporis re-
ligionem externo tantum habitu mētiti sunt, & sub spe-
cie pietatis hoibus etiam bonis bona sua subtraxerunt: &
usq; adeo omni malitiæ studuerunt, ut qui pessimi essent
Iudæorum, pharisæi essent, sicut undiq; nobis euangelica
testatur historia.

¶ Erant tamen ex iis, qui bene & pie se gerebant, sicut
hic Nicodemus, & ille legis doctor Gamaliel, & sanctus
Paulus etiam filius pharisæi, sicut ipse testatus est, quan-
do à præfecto coram tota populi concione statueretur.

Nomine Nicodemus. Tantum hic & in sepultura Chri-
sti mentionem illius facit Iohannes. Nicodemus autem
ad linguæ Græcæ proprietatem tantundem est, ac si di-
cas, uictoria populi: Hebræis, sanguis innocens. Erat uti-
q; ille de secta magnifica pharisæorum, etiam ex nomine
clarus, quia Nicodemus: officio illustris, si quidem prin-
ceps Iudæorum. (ecce religio, nomen, dignitas). Quæ-
res, quare adeo proprie uelut depingat ille Nicodemum?
eo nimirum, qd eundem deinceps constituturus erat aduo-
catum Christi, quum illum Iudæorum populus totus cõ-
demnaret. dicebat enim tunc Nicodemus, Nunquid no-
stra lex iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & co-
gnouerit quid faciat?

¶ Venit itaq; Nicodemus ad Iesum nocte. Quod ue-
nit, ex fide factum est, qd illum latenter attraxit pater, qu-
ia nemo, inquit Christus, uenit ad me, nisi pater meus tra-

Philip. 3
Actuū. 26

Matth. 23

Actuū. 5
Actuū. 23

Johan. 19

Johan. 7

Johan. 6

herit eum. Sed quod nocte uenit, metu impellente factum est & fidei suae imperfectio. erat enim ex eorum numero, de quibus Iohannes dicit: Multi ex principibus crediderunt in eum, sed propter phariseos non confitebantur, ut de synagogis non eicerentur. dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam dei.

¶ Et merito quidem istum suum defectum nox designauit, quae in sacris literis ut plurimum in scitiam significat & peccatum. sic Paulus, Eratis, inquit, aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino. In magna adhuc caligine erat Nicodemus, licet exiguum lucis radium sibi emicantem iam persenserat, propter miracula Christi, sicut ipse suo sermone testatus est: Rabbi enim ait, scimus quia a deo uenisti magister, & nemo potest haec signa facere quae tu facis, nisi sis deus cum eo. Ecce quomodo adhuc in nocte fuit, loquutus cum domino sicut cum homine puro, & ratus se plane satis facere, si caeleste in ipso cognoscat magisterium, etiam si nihil ulterius inquireret. sed quam pulchre se ipsum redarguit Nicodemus: sic enim sanctus Chrysostomus: Quid, inquit, Nicodemus nocte uenit ad eum qui diuina loquitur, qui a deo uenit: quid illum hominem tantum putas, & prophetam alienae opis indiguum ad exercenda miracula? Quamuis id ipsum non obiecit dominus illi, quia curae erat Christo a principio, non tam quis esset ostendere, quam ut crederetur, nihil contra patris facere uoluntatem. ideoque uerbis saepe numero humilioribus loquutus est, re autem quid posset, ostendit. miracula enim summa uirtute operatus est.

Rabbi, inquit, hoc est, magister seu doctor magnifice, magis aucte, & erat sane hoc aliquid: dedit enim illum deus nobis doctorem iustitiae, & descendere faciet ad uos in brem matutinum & serotinum. Rabbi, scimus quia uenisti a deo magister, non male magistrum eum uocat, quoniam sic Christus ad apostolos ipse dixit: Vocatis me, magister & domine, & bene dicitis, sum etenim. Bene etiam dixit a deo eum uenisse, quia & Christus undique dixit a deo se missum & exiuisse. Quod autem de signis adiecit, etiam de se testatur dominus, inquiens: Si non fecissem signa in eis, quae nemo alius facit, peccatum non haberent. sed

Joh. 13. 16 Rabbi, inquit, hoc est, magister seu doctor magnifice, magis aucte, & erat sane hoc aliquid: dedit enim illum deus nobis doctorem iustitiae, & descendere faciet ad uos in brem matutinum & serotinum. Rabbi, scimus quia uenisti a deo magister, non male magistrum eum uocat, quoniam sic Christus ad apostolos ipse dixit: Vocatis me, magister & domine, & bene dicitis, sum etenim. Bene etiam dixit a deo eum uenisse, quia & Christus undique dixit a deo se missum & exiuisse. Quod autem de signis adiecit, etiam de se testatur dominus, inquiens: Si non fecissem signa in eis, quae nemo alius facit, peccatum non haberent. sed

Johan. 15 Rabbi, inquit, hoc est, magister seu doctor magnifice, magis aucte, & erat sane hoc aliquid: dedit enim illum deus nobis doctorem iustitiae, & descendere faciet ad uos in brem matutinum & serotinum. Rabbi, scimus quia uenisti a deo magister, non male magistrum eum uocat, quoniam sic Christus ad apostolos ipse dixit: Vocatis me, magister & domine, & bene dicitis, sum etenim. Bene etiam dixit a deo eum uenisse, quia & Christus undique dixit a deo se missum & exiuisse. Quod autem de signis adiecit, etiam de se testatur dominus, inquiens: Si non fecissem signa in eis, quae nemo alius facit, peccatum non haberent. sed

& cæcus dixit, à mundo auditum non esse, quòd quisquam aperuerit oculos cæci nati. Ecce quomodo miracula pariunt fidem. sed ille tamen in hoc deficiebat, quòd non cognoscebat etiam Christum esse deum. Et uide hic quoq; quomodo miracula testimonium dant uirtuti diuinæ, etiam per malos facta, iuxta illud: Multi dicent in die illa, Domine domine, nōne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus? &c. sed dicit eis dominus, Quia nescio uos. Et tamen isti quoq; miracula faciāt oportet per inuocatiōem nominis alicuius sancti, quum interim Christus miracula sua fecerit uirtute propria, extra omnem alienæ opis implorationem. Agnouit itaque Nicodemus esse in ipso aliqd diuinæ uirtutis, sicut & credibile est ex aspectu suo radium emicuisse diuinitatis suæ, ut quum ludæos templo expelleret.

Johan. 9.

Matth. 7.

Johan. 8.

Matth. 21.

3. Neq; tamē Nicodemum de non agnita diuinitate increpauit dominus, sed benigne alloquutus, paulatim eceperit illum ex humilibus rebus erigere & adducere ad altiora, sublimiora ista & diuina mysteria, dixitq; Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit, non potest uideri regnum cælorum. Ecce quomodo magisterium declarare conatur dominus, quod in ipso professus erat Nicodemus, aperiens ei quomodo filius dei fieri possit renatus per gratiam, ut sic filiū dei cognosceret in natura. Quod si bene expendas hæc uerba Christi, uidebis ea correctionem quandam in se habere, quasi dicere uoluisset: Proferis magistrum esse me, meq; adeo esse à deo, & deum esse mecum: uerum id satis non est, q̄a non omnis q̄ dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cælorum. En autē ostium illi statim ostendit baptismum, quem regenerationis nomine intelligit. uere enim ianua est & ecclesiæ & omnium sacramentorum, cuius necessitatem hic dominus ei insinuat, ostendens uoluntatem hanc esse dei, ut quisq; renatus non fuerit, neq; saluetur: sicut & apertius discipulis suis dixit, quando ad prædicandum & baptizandum misit. Nisi quis renatus fuerit, ait dominus. Quæ uerba nonnulli sic exponunt: Quod quum conditi creatiq; simus in statu innocentie in primo nostro parente Adam, rursusq; relapsi & mortui per peccatum, quo auocati su-

Matth. 7.

Cyprianus.

- Gene. 2.** mus a uia uitæ & gratiæ dei, iuxta illam dei patris interminationem: Quacunq; die manducaueritis de ligno uitæ, morte moriemini, ideo necessarium erat renasci nos per sacramentum secundum formam filij dei, ita dicente Iacobo: Voluntarie regenuit nos uerbo ueritatis, ut simus
- Iacobi. 1.** intium aliquod creaturæ eius. Sunt etiam qui simpliciter intelligant, dicentes nasci hominem secundum carnem ex parentibus suis, non secus ac ex terreno homine Adæ originem ducit, idq; non sine peccato, iuxta illud Dauidicum: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ex hac natiuitate hæreditarium acquirimus peccatum, concupiscentiam malam, mortem, & quid deniq; non etiam inferos. Magna itaq; gratia deus nobis instituit sacramentum baptismi, quo regeneramur & renascimur spiritu, testante Paulo, quod sicut in Adam omnes mortui sunt, ita in Christo uicissim omnes uiuificantur. Undiq; plenum est testamentum nouum, quomodo nati simus ex deo, qui & potestatem dedit nobis filios suos fieri. Tuncq; deus uerus noster efficitur pater, & non sic tantum, ut conditor est nobis & creator, omniumq; creaturarum opifex, sed peculiari quodam modo pater noster erit. Quæ radicalis & fundamentalis est causa, quod orare ille nos docuit: Pater noster, qui es in cælis. Illa enim noui testamenti una oratio est suaui & grata, quam nemo patrum ueteris legis potuit edicere, siquidem quàm ex adfectu prodit filij ad patrem oratio, tam nosq; Christiani ex animo oramus patrem nostrum cælestem, & quum antea secundum carnem pater nobis esset Adam, sola deinceps gratia regenerando nos nobilitauit Christus, ut porro essemus filij dei. En ergo uerum Imperatorem hic uobis, qui suos uere nobilitat, qui uera insignia confert, sed ñs deum, qui renati exuiuas ueteres abiecerint, iuxta hoc dictum euangelij nostri: Nisi quis renatus fuerit, non potest uidere regnum cælorum. Ecce nemo uenit ad hanc aulam, nemo militiæ huius regis omnium regum adscribitur, nisi renatus antea (oportet enim quod deponatur basthardus) per baptismum. Possent & deberent sane hic plurima dici de usu, excellentia & dignitate baptismi, sed hanc materiam totam relegamus ad hoc

miliis nostras de sacramentis. Hoc unum fac præscribas tibi, quo riefcung oras, Pater noster, id te nec facere posse, neq; audaciam tantam orandi illud habiturum, nisi in baptismo effectus esses filius dei.

Sancta & salubris fuit illa responsio Christi, sed & Nicodemus, quia nocte uenit, adhuc de tenebris carnis suæ loquitur, non intelligit quomodo audiuit à luce. nã spiritus ei loquitur & carnem ille sapit. Dixit ergo ille rursus ad dominum: Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Ecce hominẽ hic animale tibi, q; intelligere non potuit quæ spiritus erant. Christus enim magnum illud arcanum baptisimi reuelauit ei: quod rudis iste discipulus stultum quid, imò etiam impossibile iudicat, quando nequeat homo senex intrare rursus uterum matris, ut sic renascetur. O caput ineptum & pene insensatum.

Augustin.

1. Corin. 26

sane in tenebris erat Nicodemus, & atra noctis caligine obuolutum habebat intellectum, magnus & præclarus Rabinus. Huiusmodi homines duri erant & Capharnata, qui quum audirent dominum sibi de mysterio corporis & sanguinis sui disserentem, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? aut quomodo potest ille nobis carnem suam dare ad manducandum? Impossibile isti hoc iudicabant, sicut nunc quoq; faciunt eucharistiæ impugnatore impudentissimi.

Johan. 6

Ued tu hic discrimen magnum considera sapientiæ diuinæ & humanæ. dicebat enim Christus, necessariũ esse ut renascatur homo: Nicodemus impossibile id purabat, ut quis ingressus iam grandæuus uterum matris, renascetur. non nouerat iste nisi unam natiuitatem ex Adam & Eua, ex deo & ecclesia nondum nouerat: non nouerat nisi eos parentes qui genuerant ad mortem, nondum nouerat eos qui genuerant ad uitam, sed quia non retro cessit cum Capharnatis, meruit audire uerum & solidum uerborum Christi intellectum. Insuper uide natiuitatem carnalem iterari nõ posse, siquidem homo senex nõ potest ingressus uterum matris denuo renasci, ex illo ergo & spiritualis illa repeti non debet, neq; enim baptizatus, rebaptizari potest aut debet, solennitates quidem in casu necessitatis omisissæ repeti possunt, aut sicubi dubium

Baptism^o
non reite
retur.

T

esser de baptismo, ut in supposititijs. tunc enim sub conditione baptismus iterari potest. alias nunquam scilicet iterari debet, etiam si factus esset a ministro peccatore, heretico, schismatico, iudæo, uel etiam gentili. usque adeo rebaptizatio nunquam uel uirtutem aliquam habet, uel sine peccato maximo, uel etiam citra hæresim & insignem contumeliam sacramenti fieri potest. Quid quod immensa etiam hinc & Christo & passioni suæ (unde omnis est uirtus & efficacia baptismi) accedit iniuria? Omnia tamen hæc intellige, si tum forma ecclesiæ in baptizando seruetur, tum ueram baptizandi intentionem habeat minister. Sic episcopus Alexandriae Dionysius ab hereticis baptizatum recepit, licet in confessione sua ante baptismum heretici quibus plurimos impios & nonnullos etiam blasphemiam sapientes articulos ei proposuerant, teste Eusebio. Sic Alexander

Li. 7. ca. 3
eccl. hist. andrinus episcopus Alexander, cum pueri inter quos episcopus electus fuerat Athanasius, per iocum baptizassent seruata forma ecclesiæ, cognouit ille & decreuit non rebaptizandos eos esse.

Li. 10. c. 15 Non ignorarunt utique patres illi sancti, quanta fiat contumelia spiritui sancto in rebaptizando. unus enim est baptismus, inquit Paulus, & qui semel ritu & forma ecclesiæ sunt baptizati, si post peccatum denuo uellent baptizari, crucifigerent sibi ipsis filium dei, & ludibrio haberent.

Eph. 4

Heb. 6

**De pecc.
meri. &
remiss.**

Eckeber.

Vna itaque ruina corruunt hic duæ magnæ hæreses: altera Donatistarum, qui ab hereticis baptizatos rebaptizauerunt, contra quos multa fortiter scripsit Augustinus. Et fuit quædam aliquando istius sententiæ etiam Cyprianus, sed illi pulchre excusat Augustinus. multum enim exercuit articulus iste sanctos patres. Altera eorum quæ omnino noluerunt paruulos esse baptizandos, in qua nauis erroris iam olim naufragium fecerunt Pelagiani, contra quos & Augustinus præclare scripsit, & concilium Mileuitanum decreuit. Post sexcentos dehinc annos eandem hæresim Cathari in Gallia & Germania resuscitarunt inter reliquos decem articulos, sicut illud antiquus quidam abbas Eckebertus describit: Hæresim istam infelici hoc nostro seculo reuocauit ab orco Vbalazarus Hiebmayr, & tenuerunt Heizer, Hur, Denckius, & alij nonnulli sequaces eorum.

rum. est autem hæresis hæc iam olim condemnata, ut testantur **Cypriani** scripta, & **Augustini** super **Genesim**, ad **Fidom** & ad **Marcellum**, quos libros & uidit & laudauit **Cypria. Augustin.**
beatus Hieronymus. Multas in ecclesia turbas mouit hæc hæresis, plures deperdidit anima, corpore, bonis & honore. **Vinam** aliquando tandem finem ijs malis tantis daret deus. Sed hæc aliàs, nunc tantum oremus deum &c.

HOMILIA SECUNDA

super Euangelio domini
 cæ Trinitatis.

Sintillam fidei concepit **Nicodemus** ex doctrina & miraculis **CHRISTI**. Quid mirum? trahebat enim illum deus pater intrinsecus, & permouebat ad cognitionem sui, unde & magistrum uocauit eum, & magnum esse professus est, qui signa tanta facere posset, & deum cum eo esse: & tamen rudi adhuc erat intellectu, dominumque de regeneratione baptismi loquentem sic intellexit, quasi oporteret aliquem iam natu grandem iterum ingredi uterum matris, & sic renasci: quod ille putauit esse impossibile, uti & est. Itaque paulo melius eruditum eum dominus, & dixit: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare regnum caelorum. Ecce prudens domini responsum. **Nicodemus** arbitrabatur illud domini uerbum esse impossibile, dominus autem non aduersus eum est duriter, sed paucis uerbis errorem illi suum monstrauit, quasi sic dicere uolens: **Nicodeme**, in hac regeneratione, quam tibi prædico, non est opus aliquem rursus intrare uterum matris. solummodo enim fit illa per aquam & spiritum. neque opus hic uentre, sed solo spiritu. Tu autem impossibile dicis, senem nasci denuo: ego tam necessarium, ut aliter quis saluus esse non possit. Atque sic attentum eum fecit dominus, dum enim necessitatem baptismi illi inculcat, diligentiore reddidit in inquirendo, siquidem primus homo de terra factus, præuaricatus est; hunc autem alterum hominem nouum ex aqua & spiritu regenerare uult. **CHRISTVS**, sicut & olim spiritus

Augustin.

Johan. 3

Chrysost.

Gene. 1.

† n

domini ferebatur super aquas. Aqua exterius emundat corpus a sordibus: spiritus intus sanctificat animam, ut sicut torus homo nouus efficiatur, acceptabilis deo, filij loco per gratiam, quanta filius irae erat secundum naturam. Quia ob

Johan. 1

re & Iohannes de **CHRISTO** dixit: Hic est qui baptizat. ¶ Et diligenter tu hic considera, quod non temere uniuersaliter adeo Christus loquitur de omnibus hominibus, quoniam necessarium sit illis renasci, quia enim antea Nicodemus eum magistrum appellauerat, iam ipse declarat & testatur magistrum se totius esse mundi: unde & magnifice adeo atque potenter illum docet de omnibus in uniuersum hominibus. Deinde animaduerte quod bis regnum caelorum Nicodemo inculcat, quoniam quum pharisaeus esset ipse & resurrectionem crederet mortuorum, in hoc illud adiunxit, ne negare posset quin renasceret. Praeterea uide & attende **CHRISTVM** principio loquutum obscurius, ut diligentiorum illum faceret, namque si manifeste ei dixisset hominem baptizari in aqua, contemnere potuisset: quum autem audiret Christum sibi dicere de regeneratione, admiratus est: & ne paruipenderet aquam in baptismo, uerum quoque addidit baptismam spiritum sanctum, quomodo decet facere praecceptorem bonum, ut ait

Chrysof.

Chrysostomus.

¶ Ad haec obserua quod primum dicit dominus, non uidebit regnum caelorum: deinde, non intrabit in regnum caelorum. Glossa enim dicit, **CHRISTVM** idem utroque sermone significare uoluisse, quoniam non saluabitur: sed uerba haec ulterius quiddam insinuare uidentur, nimirum quod hic dominus designare uoluerit aeternam felicitatem in uisione consistere essentiae diuinae, haec enim est uita

Johan. 17
Augustin.

aeterna, inquit dominus, ut cognoscant te deum uerum, & quem misisti Iesum **CHRISTVM**. Augustinus quoque in hanc sententiam sic ait: Visio scilicet interna ista in intellectu, est tota merces beatorum. Quisquis itaque essentiam intuetur diuinam, uere beatus est. sicque ingreditur in regnum caelorum, iuxta illud domini ad seruum: Intra in

Matth. 25

gaudium domini tui. Quum autem ex omnibus elementum aquae elegerit ad baptismum, uide in materia baptismi de septem sacramentis.

2. Nam porro sententiam suam de regeneratione de-
 clarat dominus, & ait: Quod ex carne natum est, caro est.
 Quasi diceret, Tantum de natiuitate carnis tu loqueris. **Nico-**
 deme, ubi caro de carne nascitur: ego autem de spiritali loquor, in
 qua quod ex spiritu nascitur, spiritus est. **Caro**, mortalis est: spiritus,
 perpetuus. & in generatione carnali portamus imaginem
 Adae terreni, ut ait Paulus. Unde iniqua est generatio & na- **1. Cor. 15.**
 turalis malicia. Semen enim erat maledictum ab initio, te-
 ste Sapiente. Hinc & ex hac generatione nata est illa que. **Sapient. 12**
 rimoniam Pauli: Video aliam legem in membris meis, repu- **Roma. 7**
 gnantem legi mentis meae, & captiuam me in lege pec-
 cati, quae est in membris meis. Quod autem nihil boni na-
 scatur ex carne, satis magnus ecce nobis testis adest **Iaco-**
 bus. Quum enim in carne habitet concupiscentia, & quis **Jacobi. 1.**
 concupiscentia sua tentatur abstractus & illectus, de-
 inde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum
 uero cum consummatum fuerit, generat mortem. Sicque
 nihil boni nascitur ex carne, nec quicquam aliud nisi ca- **Roma. 11**
 ro. & sicut origo est & fons, ita fluuius ubique scaturi-
 go mala, ibi & riuus malus: ubi radix arida, ibidem & ar-
 bor tota sterilis est. ideoque & ex carne nil nisi caro. At quod
 de carne ait sanctus Paulus uas electum? **Caro & sanguis** **1. Cor. 15.**
 regnum dei non possidebunt, neque corruptio incorrupte-
 lam possidebit. Contra autem, quicquid ex spiritu nascitur,
 spiritus est. arbor bona fructus profert bonos. spiritualis tamen no- **Matth. 7.**
 bilitas tum perfectio, ex spiritu est, non otioso tamen, sed
 operante, & commouente uirtutes animae ad omne bo-
 num, hominemque uniente cum deo. quia qui deo adhae- **1. Corin. 6.**
 ret, unus cum eo spiritus est. Vere felicem & beatum ho-
 minem, qui sic ex spiritu nascitur & deo, & ut ait Iohan- **Johan. 1**
 nes, qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, ne-
 que ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt. **Mysteria** haec
 non est quod multum praedicemus carnalibus homini-
 bus. neque enim intelligunt, & solo usu patent ista, pro-
 inde missa facio. Videte autem omnes, quam misericordi-
 ter nos deus noster redemerit, & regenerauerit, multo
 magnificentius quam in prima creatione. **Principio enim** **Chrysost.**
 dictum est, Producant aquae reptile animae uiuentis. Ex
 quo autem alueum Iordanis ingressus est Christus, non

- Gene. 1.** amplius reptilia animarum uiuentium, sed animas spirituales producit aqua & agnos ecclesie. In creatione mundi refert quidem Moyses, quod tunc spiritus domini ferebatur super aquas: uerum quinq; millibus annorum postea ignorabatur, quid ageret spiritus domini super aquas, tantisper dum Christus aquas Iordanis ingressus, aperto celo cerneret spiritum sanctum descendentem in specie columbae, & uenientem super se, in argumentum & signum efficacis baptismi, quod in eo spiritus sanctus potenter emundaturus esset animam baptizati, & insigniturus stola innocentiae instar columbae: & abluturus ab omnibus sordibus peccatorum. hoc itaque erat, quod quicquid ex spiritu nascitur, spiritus est.
- Cyillus.** ¶ Audi porro quid hic Cyrillus dicat: Naturam ex spiritu, spiritum hominis dicimus, non quia ex eo secundum naturam est, sed una quidem & prisca ratione, quoniam per spiritum ex nihilo ad esse productus est, sicut in libro Genesis legimus, quod deus condiderit hominem ex limo terrae, & inspirauerit in faciem eius spiraculum uitae, unde factus sit homo in animam uiuentem. Et secundum hoc uerum est, quod ex carne caro, ex spiritu autem spiritus nascitur. quum enim gemina in nobis sit substantia, corpus & anima, corpus quidem de corpore uenit parentis, anima autem quae spiritus est, ex spiritu dei uenit, sic inquit Augustinus: Anima infundendo creatur, & creando infunditur, quoniam singulis hominibus, singulae creantur animae a deo, auctore Psalmista: Qui fingit (sicut figulus ollas) singulatim corda eorum. & de hac re non loquitur hic dominus.
- Secundo**, spiritus ex spiritu nascitur, quando per spiritum reformamur, & proprio illius signaculo insignimur, animo quoque nostro transformamur secundum imaginem ipsius: de qua transformatione Paulus loquens, dicit: Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in uobis Christus. & iterum, in Christo Iesu genui uos per euangelium. idque adeo fit in sacramento baptismi, quo renascimur in spiritu dei, & charitate insignimur indelebili. quod ita esse uel inuitis omnibus neochristianis, testatur nobis aperte sanctus Paulus: Nolite, inquit, contristare spiritum sanctum, in quo signati estis in die redem-

tionis uestræ. & paulo ante, In quo & uos cum audiuis. *Eph. x.*
 setis uerbum ueritatis euangelium salutis uestræ, in quo
 & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui
 est pignus hæreditatis nostræ. Vtrinque hic manifeste de-
 clarat Paulus, Christianos consignari per fidem in rege-
 natione spiritus in baptismo.

3. ¶ Quum itaque iam dominus Nicodemo decla-
 rasset, quid de regeneratione illa sibi uoluisset, & quod nõ
 secundum carnem, sed spiritum intellexisset, admiratus
 ille est & obstupuit: ac proinde subiunxit dominus, Non
 mireris quia dixi tibi, oportet uos nasci denuo. spiritus
 ubi uult spirat, & uocem eius audis. Homines mundani,
 quum audiunt aliquid dici de natiuitate seu generatione
 caelesti uel filij dei, uel etiam filiorum adoptionis, tan-
 tum admirantur & stupent attoniti, iuxta illud *Isaiæ. 66*

Quis audiuit unquam tales? & quis uidit huic simile? nun-
 quid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul,
 quia parturiunt & peperit Sion filios suos? Nunquid ego
 qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit dominus?
 Ita hic quoque fecit Nicodemus, quam obrem apertius ad-
 huc ei dominus naturam & proprietatem ueni incul-

cat, quem hic idiomate Hebraico spiritum uocat: quan-
 do hæc singularis quædam est uirtus docentis, ut multis
 ac uarijs modis auditorum animos atrectet: unde paula-
 tim materiæ difficultas fiat apertior. Quum igitur Nico-
 demus uerba CHRISTI de carnalibus & terrenis rebus
 intellexisset, & dominus uicissim ostenderet se de spiritu
 loqui, neque adhuc satis Nicodemus adsequi posset (in-
 finitum enim penè est, quo spiritalia distant à corpora-
 libus) mediam adhuc creaturam ei proposuit uentum,
 qui neque ad solidi corporis naturam, neque ad incorpo-
 ream conscendit, priusque ramen orditur ab aqua, quæ te-
 nutior est quàm terra & crassior uento. Vult ergo do-
 minus docere, quomodo spiritus inuisibiliter operatur
 regenerationem suam in anima hominis, & nobis quo-
 que nec sentientibus neque uidentibus.

Ait enim, Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis:
 ne scis autem quò uadat, aut unde ueniat. Duo in his uer-
 bis proponit ille: alterum, quòd si huius spiritus quem

auditus sensu percipis, & tactu imperum sentis, ne uiam quidem nosti, quoniam pacto diuini spiritus operationem perscrutaberis? Alterum uero est, quod simul ibi declarat potentiam & uirtutem spiritus sancti. quod si enim uenti ubilibet spirantis semitam impedire nemo potest, nec prohibere, quanto minus impedire quis poterit operationem spiritus sancti, quam uetare nec natura potest, neque ulla creatura: aut quis est qui resistat uoluntati diuinæ? Vere namque spiritus ille ubi uult operatur, quod luce clarius cernis in Maria Magdalena peccatrice. Ecce autem & Iudas apostolus cecidit, & spiritus ille latronem seruauit. usque adeo nescit tanta molimina spiritus sancti gratia, cuius enim uult miseretur, & quem uult indurat.

Roma. 9

Ambrosi.
Roma. 9

¶ Dices: Quomodo aut quid hic dicit dominus de uento seu spiritu, quod ubi uult spiret, qui uoluntatem nullam habet, quum nec homo sit, neque animal, neque alicuius uitæ capax? Sane uerum respondeat tibi ad hoc Chrysostomus, & dicit: Quia non loquitur hic dominus, ac si uoluntate aliqua feratur uentus, sed liberum eius a natura imperum significat, mos enim est scripturæ, ita etiam de inanimis loqui, quemadmodum cum inquit, Vanitati subiecta est creatura nolens, ideoque & propter liberam agitationem uenti dicit hic spiritum spirare ubi uelit.

Chrysost.

4. ¶ Sequitur, Et uocem eius audis, per uocem sonum intellige & stridorem, quem audis utroque, sed unde spiret exacte non cognoscis, & licet uideas austrum euntē a meridie ad aquilonem, & alium uentum uenientem ab oriente in occidentem, tamen originem illius certam ignoras.

Augustin.

Ita spiritualiter quoque audit aliquis uocem spiritus, dum commotionem illius in se experitur, neque enim infidelis audit uocem pastoris, sed fidelis tantum, gratia modo diuina non destitutus, ut illam sequatur, iuxta istud Dauidicum:

Psalm. 94

Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Quoties audimus quidem uocem domini pulsantis in cordibus nostris, nosque admonentis & exhortantis ad omne bonum, iam per seipsum, iam per angelos suos. Curemus modo ne contempnamus instinctum domini, sed potius omni reuerentia & honore simul ac timore recogitemus & suscipiamus: sicque iam audientes uocem

Spiritus, nescimus tamen adhuc unde ueniat. omnis enim illa operatio spiritus sancti occulta est, totaq; later inuisibilis. Beda hoc exponens, sic ait: Nam uidetur baptizandus in fontem descendere, uidetur aquis intingi, uidetur de aquis ascendere: quid autem in illo lauacrum regenerationis egerit, minime uideri potest, sola fidelium pietas nouit: quia peccator in fontem descendit, sed purificatus ascendit: filius mortis descendit, & filius uitæ ascendit: filius diaboli descendit, & filius dei ascendit, idq; nos corporalibus oculis nostris non cernimus, sed mater sancta ecclesia quæ peperit illum denuo, nouit hoc in fide, quod infideles nec norunt neque credunt, ut dicit Iohannes: Charissimi, nunc filij dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. sic Sapiens dicit: Ignoras quæ sit uia spiritus. Ecce itaque quomodo audis uocem spiritus, neque tamen stupendam ipsius intelligis operationem. sicq; ait Augustinus, Sonat psalmus: uox est spiritus. sonat euangelium: uox est spiritus. uocem eius audis, & nescis unde ueniat aut quo uadat. Vocem iam meam in prædicando auditis, uocem utiq; spiritus, in quibus autem spiritus operetur, & quo uadat, id ipsum sane nescio. Sunt qui hinc uariam uentorum generationem & multiplicem causam de clarent. interdum enim uenti generantur ex nubibus, ut secundum latitudinem aëris, aliàs ex cauernis terræ, non nunquam ex mari, ita ut plane nesciamus uel quando oriuntur uenti, uel unde emergant, uel quibus de causis. Sic etiam ignoramus, & quando & ubi, & in quibus operetur spiritus sanctus. Quo nomine diligenter orare debemus deum pro gratia spiritus sancti impetranda, cuius ope & auxilio renati, efficiamur filij dei in uitam æternam, quæ nobis concedere dignetur dominus deus, cui laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Beda
in Homil.

r. Iohan. 9
Ecci. 11

Augustin.

HOMILIA TERTIA ET VLTIMA

in dominica Trinitatis.

Benignissimus & optimus maximus ille dominus noster Iesus Christus, non inter diu tantum, sed & noctu opus atq; officium suum euangelicum exe-

T V

quatus est: atq; ex pharisæis principem quendam Nicodemum, erudiuit & docuit profundissima fidei Christianæ mysteria de regeneratione spirituali, qua quis nouus homo efficitur: & merito quidem, sicut & Paulus testatur, dicens: In Christo Iesu neque circumcisio aliquid ualet, neque præputium, sed noua creatura, plane enim quisquis ingredi cupit regnum cælorum, fiat oportet creatura noua, nouusque homo, semotus ab exuuijs ueteris Adæ, iuxta illud Pauli: Renouamini spiritu mentis uestras, & induite nouum hominem, qui secundum deum creatus est in iustitia & sanctimonia ueritatis. Sanctam illam fidelium regenerationem adsequi non potuit Nicodemus, quamobrem dixit ad dominum: Quomodo possunt hæc fieri? uerba Christi non intellexit, & tamen nihil ad eum dixit contumacius, sed magis ut diligens discipulus quæsiuit, conceptam iam illam apud se habens opinionem de Christo, quæ uera essent uerba sua, modum tamen & mensuram illorum ignorabar.

Augustin. ¶ Increpauit ergo eum dominus, & ait: Es tu magister in Israel, & hæc ignoras? quasi diceret, Magister tu es & doctor Iudæorum, inde magisterio tuo insaris. Atque scias quia nemo ex spiritu nascitur, nisi humilis fuerit. & tu igitur fac humilioris, fiasque ex magistro discipulus. nisi enim scieris quomodo renascendum tibi sit spiritu, frustra est omnis scientia tua, & inane totum magisterium. Sin autem renatus fueris spiritu, sic demum cognosces uias domini, & quid sit illi acceptabile. Verum quid miramur hoc? uelamen adhuc habebant omnes Iudæi positum super intellectum eorum, sicut Moyses &c.

2. Cori. 5 ¶ Tu hinc etiã discere nō mirari, quod neochristiani credere nolunt doctoribus sanctis, quæ recipere recusant quicquid ipsis dicitur. siquidem non intelligunt, omnisque ista culpa eorum est propria, nullum uitium doctorum. Ecce hic Nicodemus uenit pio corde bonoque adfectu ad dominum, confessus est illum uenisse à deo magistrum, & tamē Christum non intellexit, ipse quippe magister in Israel. Quanto magis isti nos intellecturi nō sunt, cum ad nos ueniant animo maligno & inuido atque amaro corde? Ut rectissime dixerit Bernardus: Tantum uincere cupiunt hæretici, nō

Bernar.

veritatem agnoscere. hinc est quod obstinati permanent
 cæci, & in peruersis suis dogmatibus damnatissimi, homi- **Psalm. 4**
 nes graui corde, diligentes uanitatē, & q̄rentes menda-
 cium. Aut quoru(m) quisq; est ex neochristianis, qui libros
 legat catholicorum unde discat ueritatem: tantū incum-
 bunt ijs, quę perditissimi quicq; hæretici uel scripserūt unq̄,
 uel etiam nū scribunt. ea nocturna pariter & diurna circū
 uersant manu. sic illa tm̄ diligunt q̄ scripsere, **Vuicleph,**
Huls, **Rockenzan,** **Vueselus,** **Marsili^o de Padua,** **Lutherus,**
Zuinglius, **Oecolampadius,** **Bucerus,** **Regius,** & id genus
 reliqua sex hæreticorum.

¶ Ut autem magisterium suum declararet dñs, quod in
 ipso professus erat principio sermonis sui Nicodemus, ec-
 ce dicit: **Quod scimus, loquimur: & quod uidimus te fra-**
mur. quo uerbo efficaciter ille uirtutem testimoniū sui cō-
 firmat, eo q̄ audierit & uiderit ipse, quæ certissima est te-
 stimoniū firmi comprobatio. Dices autem, ubi quæso uide-
 rit hæc **Christus.** r̄ndet **Chrysostr^omus,** & ait uidisse eū in **Chrysostr.**
 illo immenso essentia diuinæ speculo. siquidē cum apud
 nos sensus uisus certissimus sit, cum persuadere quid uo-
 lumus, ita loqui solemus non audisse nos, sed uidisse. Ita
Christus quoq; ab æterno audiuit & uidit & sciuit ex deo **Johan. 3**
 patre in seipso, in intellectu diuino. Quod nimirū illud
 est hic sequens: **Quod uidit & audiuit, hoc testatur, & te-**
stimonium ei^o nemo accipit. Neq; paruam hic noxam in-
 currerunt iudæi, quod testimonium tantum noluerunt
 accipere, imo q̄ & **Christum** lesum à deo patre missum,
 hæredem uerum, quē potius audire debebant, quā quē-
 uis alium, illum quoque occiderunt, ut testatur parabola
 euangelica. **Matth. 27**

2. ¶ Videmus igitur quā euidenter testimonium
 suum comprobet dominus ex uisis & auditis, unde meri-
 to danda sibi sit fides: quoniam nemo nisi per fidē perue-
 nire queat ad cognitionem mysteriorū **Christi.** Vbi tu cō-
 sidera, q̄ quamuis hoc uerbo dominus satisfecit **Nicodem-**
o, neochristiano tamen nositati scilicet acuto & subti-
 li satisfacturus nō erat, cui persuasa & certissima habet sen-
 tentia, nihil dicendum esse cuiq; citra scripturæ autorita-
 tem, & tamen hic **Christus** tanquam legislator ex pro-

pria loquitur autoritate, sicuti & nos deinceps iam loquimur autoritate ecclesie, quae suam illam à sponso habet domino. Posset illius ratio hæc quoque assignari, quod iam ante magisterium Christi confessus erat Nicodemus, quum itaque illud iam iam crederet, uanum fuerat & superfluum uti testimonio scripturæ.

¶ Obijcies autem hic mihi: Quare magisterium suum in Israel exprobrat dominus Nicodemo, eo quod non cognouisset mysterium baptismi, quum tamen Israelita baptismum nullum haberet: Respondeo, uarijs multisque modis figuratum iam tunc erat baptismi sacramentum in ueteri testamento, ut sic merito debuerat Nicodemus non nihil de eo intelligere. Ecce enim prima statim uirginis uiri latere est desumpta, & aqua produxit uolatile & reptile, Eliseus ex aqua fecit ferrum natum, Iudæi simul omnes transierunt mare rubrum, aqua Iordanis mundauit

Gene. 2. 7

4. Reg. 6

Exodi. 14

4. Reg. 5.

Johan. 5.

Jezech. 36

Naaman à lepra, cum se lauisset septies ex illa, ad commotionem piscinæ Hierosolymitanæ tunc temporis sanabatur primus quisque ut erat ingressus in illam, Possent ad longum figura ista extendi, ego tamen ihs omnibus supersedeo, hoc unum tacere non possum, quod apertissime magister propheta Iezechiel prædixit de baptismo, Et effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris, & ab uniuersis idolis uestris mundabo uos, & dabo uobis cor nouum & spiritum nouum ponam in medio uestri. Aliqua saltem ex ihs, si non omnia mouere debuissent Nicodemum, illique occurrisse, iam maxime cum uidebat istud re ipsa confirmari, baptizante iam tunc Iohanne & uniuersa Iudæa confluente ad illum.

¶ Iterum quærat aliquis nonnihil circa hoc quod dicit ibi dominus, Si terrena dixi uobis & non creditis mihi, sane etenim uerba Christi terreno more intellexerat Nicodemus, sed non eo modo elocutus est dominus, sed spiritali quodam, sicut seipsum aperuit, subdens: Quod ex spiritu natum est, spiritus est. Chrysostomus respondens ad hoc, Terrena inquit, hoc in loco nonnulli de uento dictum arbitratur, hoc est, Si exemplum à terrenis sumptum non creditis, quomodo altiora credetis? & tamē illud dominus Nicodemo ob maiorem facilioremque intellectum

Chrysost.

dixerat. Vere enim hic quoque locum habet istud **Grego-^{rius}** **Grego-^{rius}**
 rianum: Quod regnum cælorum idcirco terrenis rebus
 simile dicitur, ut ex his quæ animus nouit, surgat ad inco-
 gnita quæ non nouit: quatenus exemplo uisibilem ad in-
 uisibilia se rapiat, & per ea quæ uisu didicit, quasi cōfri-
 catus incalcescat, ut per hoc quod sit notū, diligere discat
 & incognita amare. Arguere itaq; & corripere hic uult
 dominus **Nicodemum**, q̄ cum exempla non intelligeret
 terrena, multo minus mysteria cogniturus esset cælestia,
 cuiusmodi est illud **Sapientis**: Difficilia æstimamus, quæ
 in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum la-
 bore, quæ in cælis autem sunt, quis inuestigabit? Et istud
Iob: Nunquid nosti ordinem cæli, & pones rationem ei?
 in terra: **Rationem**, inquit **Gregorius**, cæli ponere in ter-
 ra, est supernorum iudiciorum mysteria, uel consideran-
 do discutere, uel loquendo manifestare. Tunc ergo ratio
 cæli ponitur in terra, quando cælestia terrenis comparā-
 tur. **Augustinus** aliter intelligit, & dicit **Christum** hic p̄
 terrena accipere uerba quæ dixerat, **Soluite templū hoc**,
 & in triduo reedificabo illud, locutus autem hoc fuerat
 de templo corporis sui, quod ex terra constitutum erat,
 & Iudæi non credebant, nec intelligebant.

Sapient. 9**Iob. 36.**
Grego-^{rius}**Augustin.**
Johan. 2

3. ¶ Ne autem in ijs uerbis dubitaret **Nicodemus** ali-
 quantulum, quando dixerat dominus uidisse se & audiu-
 se, sicq; suspicaretur ita loqui illum, quasi qui fuisset in cæ-
 lis, anteuertit iam dominus & ait: Nemo ascendit in cæ-
 lum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cæ-
 lo. Ecce ergo **Nicodeme** hic tibi, quomodo ego tum uide-
 rim, tū audierim, de cælo em̄ descendi: & si aliū adhuc ex
 me requireres testem, en altum tibi dare non possum, qm̄
 solus ego descendi. Possunt hæc uerba etiam hoc modo
 intelligi, q̄ **Nicodemus** proponebat & profitebatur deū
 esse cum **Christo**: & ipsum tamen deum nō esse credebat,
 sed prophetam tantum & magnum amicum dei. Quam
 opinionem peruersam declinare uolens dominus, dixit
 principio uenisse se in hoc, ut homines filios dei faceret,
 & ut baptismum institueret in regenerationē: quod uti-
 que facere non potuisset, nisi deus esset. Cumq; ne sic qui-
 dem intelligere uellet **Nicodemus**, deinceps aperte dicit,

Augustin.
Cyillus.

uenisse se de cælo: sicq; non prophetam, sed prophetarū
omniū esse dominū, qui prophetas reliqs omnes misisset.

¶ Sed iam hic tria occurrunt iuquitenda: Primum, quo
modo dixerit Christus, uenisse filium hominis de cælo,
qui primum filius hominis factus fuerat in terris. Respo
deo, cum filius dei naturam humanā adsumperat in uni
tate personæ, iam naturæ quoq; mutuo suas participant
proprietates seu idiomata propter unionem. sicq; dicim⁹
nos mortuum esse deum, cum tamen Christus tantum se
cundum humanitatem sit mortuus. Et contra quando se
cundum naturam diuinam Christus descendit de cælis,
dicimus tamen hominem quoq; Christum cælitus uenisse.
Atq; hæc omnia propter communicationem idioma
tum, id est, proprietatum. Altera quæstio est, Cum tunc
temporis filius hominis adhuc erat in terris uiuens, quo
modo dixit hic eum esse in cælo? Respondetur hic quoq;
sicut superius, Christum deum fuisse & hominem, atque
secundum carnem adhuc uixisse in terra, & ratione deita
tis fuisse in cælo: istæq; duæ naturæ communicabant in
ter se inuicem proprietates suas, ita ut uere diceretur, de
um in terra, & hominem esse in cælo, per communicati
onem idiomatum. Tertia porro quæstio hæc est, quomo
do hic dicat dominus, neminem præter filium hominis
ascendere in cælum, cum tamen omnes nos speremus p
uenturos aliquando ad regnum cælorum, sicut nobis p
miserit dominus futurum, ut simus similes angelis dei? Re
spondemus itaq; etiam ad hoc & dicimus Christum solū
descendisse de cælis, & ascendere in cælum: sed quod etiā
sancti dei homines ascendunt in cælum, id tantum habet
ut Christi membra: tunc ergo solus Christus ascendit in
cælum, quando solus ipse cum membris suis fertur in cæ
lum. Et hoc est quod ubiq; deus commendat unitatem, et
iubet unanimes nos esse debere, neq; ab ecclesiæ unitate
deficere. Væ igitur istis qui oderunt ecclesiæ unitatem,
quoniam non ascendent in cælum, unus enim est qui in
cælū ascendit Christus, unus inq; ille cum membris suis.

Augustin.

Matth. 22.

Augustin.

1. Corin. 3

1. Corin. 1.

Vnde & Paulus, nolite, inquit, plures fieri. & rursus, An
ne Christus diuisus est? In hūc sensum superiora uerba in
ducit Augustinus, & ait: Si terrena dico uobis de corpore

meo terreno uero illo, & interim neque intelligitis nec creditis, caelestia quomodo intelligetis? hoc est, si quid de corpore mystico dixerō, ecclesia scilicet, sicut in multis locis deinde Paulus multa disseruit. Solus ergo Christus ascendit in caelum, solus inquam ille cum uero & mystico corpore suo.

¶ Et ut aliquando haec finiamus, uoluit dominus hic Nicodemo fructum & utilitatem baptismi declarare huiusmodi, quod quisquis non fuerit renatus ex aqua & spiritu, nequeat etiam intrare in regnum caelorum, cum nemo feratur in caelum, nisi **CHRISTVS** & quicumque incorporatus est illi. Incorporantur autem **CHRISTO** omnes in baptismo & ecclesia sancta dei, ut sic in Christo possint omnes ascendere in celum. Neque enim is qui nati sunt ex Adamo terrestri, pater regnum caelorum & ianua paradisi, siquidem deus ante eum reposuit Cherubim & flammam gladium, ad custodiendam uiam ligni uitae. Illis autem qui ex altero Adamo caelesti renati sunt per baptismum, patet utique celum, sicut testatur Propheta: **Qui adificat, inquit, in caelo ascensionem suam. & fasciculum suum super terram fundauit, Christus itaque ipse sibi uiam parauit ad caelum. fasciculus autem suus electi sunt, quos congregauit in terra.**

4. ¶ Admirari poterat Nicodemus, unde haec tanta uirtus inest aquae in regeneratione spirituali, iam porro illum docet dominus id omne uenturum ex passione sua: atque hoc probat ex figura ueteris testamenti, quando mordentibus in deserto serpentibus Iudaeos, & misere pereuntibus omnibus, quotquot morfi erant, praecipit dominus Moysi serpentem aeneum in sublimem aera suspendere, quem quisquis intueretur, conualesceret ex morfu. Quid autem sunt serpentes mordentes, nisi peccata de mortalitate carnis? sic primum hominem peccato graui momordit in paradiso. serpens autem aeneus in ligno Christus ipse est in cruce; aëris tinnitum habet ualidum, & Christus uerbum exiit sonans, aërs illud latro in clamauit, Domine, in emero mei cum ueneris in regnum tuum. Tinnitum aëris huius etiam cum ostendisset, cetero prupit in haec uerba: Vere filius dei erat iste. Quisquis ergo oculis fidei aspexerit serpentem illum, saluabit. Comparat

Gene. 3.

Amos. 9.

Num. 21.

Aug. s. 1.

Gene. 3.

Luc. 23.

Matt. 27.

autem serpenti dominus ex morte sua, sicut enim serpens iste æneus homines ab alijs serpentibus demorsos sanabat, ita hic omnes homines ex morsu mortis faucios cura uir serpens occisus Christus, serpens uero hic æneus, quia expers ueneni: & tamen interfectus, quia morte sua nos uiuificauit.

1. Cori. 15. ¶ Et sic mortua est mors in morte Christi, quoniam ab
Cyillus. sorpta est uictoria tua o mors. Hoc itaq; modo uerbum
Roma. 8 dei factum est in similitudinem carnis peccati, cum in carne sua peccatum damnauit, respicientibusq; in eum fide syncera æternæ salutis largitor ostenditur. cū primū em̄ uita mortua est, nos uiuificati sumus. De hac ipsa exaltatione locutus est etiam illud, Cum exaltaueritis filium hominis, tunc demum cognoscetis quia ego sum Christus, & iterum, Cum exaltatus fuero à terra, traham ad me omnia. Quando igitur grauer demorsi sumus omnes à peccato originali & multis alijs peccatis mortalibus, sic intueamur Christum in cruce, ut olim Iudæi serpētem, qui temporalem tantum uitam conferebat aspicientib⁹, sed hic noster nobis uitam largitur æternam.

Johan. 8. ¶ Sicut ergo est Adam terrenus & serpens malignus, ita & Adam secundus & serpens bonus, est Christus Iesus.
Johan. 19. Quæras autem, cur adeo serpentem solum Nicodemo in exemplum proposuit hic dominus, & non quodcunque aliud animal ex multis istis, quæ in lege ueteri Christum figurabant? Respondet ad hoc Chrysostronus, & dicit dominum uoluisse passionem suam uelut medicinam quandam declarare. ex omnibus autem omnium animalium figuris, nulla est quæ magis proprie medicinam animæ representet quàm ista serpentis. Et sunt quidem ratione sacrificij cætera quoq; animalia figuratiua Christi, sed quo ad medicinam, solus serpens. Id ita intellige. Naturaliter ita est, uenenum ueneno propellendum est, non ita autē in reliquis morbis. De morsu itaq; homo à serpente, oportet adhibeat theriacam, quæ cum ex ueneno serpentis componatur, ueneno alteri medetur. Sic nobis præsentaneum remedium atque adeo theriaca saluberrima Christus est, omne uenenum abigens peccati, quo antequis iste serpens nos momorderat. Quæ etiam ratio est;

cur diabolus serpentem uocemus antiquum, cum Christus serpens nouus sit & salutaris. Causa quoque hinc patet, quare Iudæos deus sanauit in similitudine eius animalis, à quo erant occisi. siquidem & Christus in similitudine uenit carnis peccati. Serpentem igitur hunc quicumque aspiciat fide per charitatem operante, uitam habebit æternam. cumque legis peritus esset Nicodemus, exemplum hoc illi eo proposuit dominus, quo magis cognosceret se uetus consummare testamentum, & quicquid ibi figuratum fuerat, se iam perficere.

Roma. 8
Sala. 5

Chrysostr.

¶ Ve autem aliquando finiam, hoc unum cogitate dilectissimi, quomodo euangelium hoc festo trinitatis conueniat, cum singularum trium personarum ibi mētio fiat; patris quidem, quando dicit, Scimus quia à deo uenisti spiritus sancti subinde hic meminit circa regenerationē hominis, filius autē ipsemet hic loquitur Nicodemo. Neque solum hic propria personarum, sed etiam attributa, earundem exprimentur: quoniam potentia patris ostenditur, cum dicit: Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi sit deus cum eo. sic enim habere uirtutem operandi miracula, omnipotentia dei patris attribuitur. Sapientia filij declaratur, dum ait, Scimus quia à deo uenisti magister, quoniam magisterium decet scientia: & hæc proprietate non proprie, datur filio. Bonitas uero & libertas spiritus sancti insinuat, quando dicit dominus, Spiritus ubi uult spirat. Ad hæc declarauit hic Christus baptismi necessitatem, ostendit illum fieri in aqua & spiritu: formam uero illius docuit signo trinitatis, quando dixit. Ite & docere omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Breui igitur hoc euangelio cognoscimus mysterium trinitatis, necessitatem & materiam baptismi, mysterium quoque tū spiritualis corporis Christi, tū ascensionis eiusdem in cælum, magnum etiam illud sacramentum incarnationis, passionis, & mortis filij dei, quæ sane magna sunt, si modo non maxima, fidei nostræ arcana: pro quibus beneficijs uos gratias agite deo, laudate & celebrate gratiam atque misericordiam dei, unde donati sumus muneribus in creatione nostra, in redemptione & gubernatione, ac præcipue uero in usu sacramen-

Matth. 28

V

torum. Oremus igitur omnes dominū pro bono fine impetrando, ut & nos possimus tres illas personas intueri in una essentia diuina per secula. Amen.

● HOMILIAS DE TRINITATE REQVIRE PARTE

tertia de Festiuitatibus.

● EVANGELIVM ●

DOMINICAE SECVNDAE

à festo Pentecostes, Luca XVI.



In illo tempore dixit Iesus appropinquātibz ad se Pharisæis parabolam hanc: Homo quidā erat diues, qui induebat purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius hulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mēsa diuitis, & nemo illi dabat. Sed & canes ueniebant, & lingeabant hulcera eius. Factum est autem ut moreretur mēdicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autē oculos suos cum esset in tormentis, uidit Abrahā